

DE ACTU FIDEI DIVINAE

TRACTATUS DOGMATICUS.

1. Antequam e Locis theologicis singula eruantur dogmata, abs re non erit actum ipsum fidei divinae, quo illis adhaerendum est, attentius perscrutari. Triplici dissertatione dicemus : de fidei divinae actus 1° objecto materiali, 2° objecto formali, 3° conditionibus. Quae spectant habitum et subjectum fidei, melius elucidabuntur ubi de aliis habitibus infusus, post tractatum *de Gratia*.

QUAESTIO PRAEVIÀ.

Quae sint praecipuae vocis fidei acceptiones ?

2. Resp. Varias illas acceptiones referuntur vel ad voluntatem, vel ad intellectum.

I. *Ex parte voluntatis*, vox fides sumitur : 1° pro fidelitate, quae est virtus moralis servans veritatem et constantiam in promissis. Sic David laudans Ethai Gethaeum ait : *Ostendisti gratiam et fidem* (2° Reg. xv, 20) ; 2° pro objecto ipso fidelitatis, seu, promissione ; v. gr. *primam fidem irritam fecerunt* (I Tim. v, 12) ; 3° pro fiducia, quae est firma quaedam et roborata spes ; v. gr. *Modicae fidei, quare dubitasti ?* (Math. xiv, 31).

II. *Ex parte intellectus*, fides sumitur : 1° pro conscientia, seu, iudicio practico intellectus aliquid approbantis, vel prohibentis ; v. gr. *Quod non est ex fide peccatum est* (Rom. XIV, 23) ; 2° pro assensu dato alicui propositioni ob auctoritatem testificantis ; qui assensus dicitur actus fidei divinae aut humanae, prout res credita testificatur a Deo vel ab homine ; 3° pro objecto quod fide divina creditur ; v. gr. *haec est fides catholica* (Symb. Athan.) ; 4° pro habitu quo quis assentitur veritati propter auctoritatem Dei testificantis.

In praesenti, sermo est de fide, prout est actus virtutis theologiae, quam Conc. Vatic. (Const. *Dei Filius*, c. 3) definit : « Virtutem esse supernaturalem qua, « Dei aspirante et adjuvante gratia, ab eo revelata « esse credimus, non propter intrinsecam rerum « veritatem rationis lumine perspectam, sed propter « auctoritatem ipsius Dei revelantis, qui nec falli nec « fallere potest. »

DISSERTATIO PRIMA

DE OBJECTO MATERIALI FIDEI DIVINAE.

3. Objectum materiale fidei divinae vocatur omnis veritas cui possumus assensum praestare a fide theologia procedentem. Duo hic expendenda veniunt : 1° conditiones requisitae ad objectum materiale fidei divinae constituendum ; 2° ejusdem augmentum in seculorum decursu. Pro quibus evolvendis quaeruntur undecim.

QUESTIO I.

Quid certo requiratur ad objectum materiale fidei constituendum ?

4. Resp. Requiritur 1° ut veritas fuerit a Deo revelata ; siquidem per fidei divinae actum assentimur Deo revelanti.

Requiritur 2° objecti revelatio non clara, sed obscura. Revelationem claram eam dicimus qua Deus veritatem immediate in sua intrinseca evidentiā conspiciendam manifestat. Talis est revelatio quae fit Beatis in caelo, per visionem intuitivam. Revelatio obscura ea est qua veritas non immediate intuenda menti objicitur ; sed proponitur ob divinam Veracitatem, tanquam per motivum extrinsecum, admittenda. Revelatio hujusmodi multa complectitur quae rationi naturali, propter defectum evidentiā intrinsecae, sunt impervia. Utrum autem alio etiam sensu obscura dicenda sit, suo loco examinabimus.

5. Requiritur 3° certitudo revelationis a Deo factae, et talis certitudo quae omnem prudentem errandi formidinem evidenter excludat. Id patet 1° quia, secus, obsequium credentis, quod, ex probandis, debet esse firmissimum, jam non esset rationabile ; 2° quia Innocentius XI hanc damnavit propositionem : (XXI). « Assensus fidei supernaturalis et utilis ad salutem, stat cum notitia solum probabili revelationis, imo cum formidine ne non sit locutus Deus. »

Veritas de cujus revelatione certo constat, dicitur *credibilis* ; et illa aptitudo qua potest terminare fidei divinae actum, vocatur *credibilitas*.

6. Requiritur 4° ad objectum fidei *obligatoriae*, ut revelatio ad credentem fuerit directa et intimata. Deus enim sic dirigens et intimans suam revelationem, sane intendit ut ille ad quem dirigitur et intimatur obsequium teneatur praestare. At, seclusa illa directione et intimatione, non adest praeceptum expendendi veritatis revelatae credibilitatem; et, etiamsi clare pateret illa credibilitas, sufficeret non dissentire; sed haud foret illicitum assensum positivum cohibere ad alia divertendo.

Revelationis propositio et intimatio a Deo facta, veritatem denominat non tantum credibilem, sed *credendam*; et haec veritatis sic revelatae conditio vocatur *credenditas*.

QUAESTIO II.

An et quatenus veritas naturaliter evidens possit pertinere ad objectum materiale fidei?

(Salm. *De fide*: Disp. III. Dub. II. — Theol. Wirceb. *De fide*: n. 211, 212. — Suar. *De fide*: Disp. 3, sect. 9. — Lugo, *De fide*: Disp. 2, sect. 2. — Mazella, *De virt. inf.*: n. 377... 401.)

7. Resp. Non agitur de illo qui hanc naturalem evidentiam non percipit, sed quaestio est utrum idem objectum ab eodem intellectu possit simul credi et evidenter cognosci?

Controvertitur. Negant communiter Thomistae (S. Th. 2. 2. q. 1. a. 4, 5.) juxta quos, de ratione objecti materialis fidei est non esse ullo modo visum, seu, evidenter notum a credente.

8. Etenim 1° Ex B. Paulo (Hebr. xi, 1) fides est *argumentum non apparentium*. Atqui veritas naturali medio evidenter vera, est apparens pro cognoscente.

2° Praeterea, Patres passim hoc sensu loquuntur, videlicet: « Fidem de re evidenti conceptam, non « dici posse fidem » uti S. Athan. (De salutari adventu); « quae apparent non habere fidem sed agnitionem, » uti S. Greg. Magn. (Homil. xxvi, in Evang.); « fidem « esse credere quod non videtur », uti D. Aug. (Tract. xl in Joan.).

3. Praeterea, nonnulli eorum, super verba Christi: *Quia vidisti me, Thoma, credidisti* (Joan., xx, 29), ut explicent quomodo Thomas potuerit jungere cum fide visionem, non dicunt utrumque componi posse in eodem intellectu; sed asserunt Apostolum aliud vidisse, aliud credidisse; vidisse hominem, credidisse Deum. Ita S. Aug. (Tract. lxxix in Joan.) et S. Greg. Magn. (Homil. xxvi in Evang.) Atqui haec interpretatio supponit nec posse videri quod creditur, nec posse credi quod videtur.

9. Sed contra dico 1°: *Nihil obstat quominus objectum evidenter cognitum, si sit divinitus revelatum, actu fidei divinae etiam ab eodem attingatur.*

Ita communius inter recentiores, post Suarezium et Lugo.

Prob. 1°: *Quia illud non repugnat*. Nam, ut ait Mazella (n. 398): « Unum idemque materiale objectum potest duplicem habere cognoscibilitatem, secundum duplex medium quo innotescit; ex. gr. ex

demonstratione evidenti per intrinseca principia, et ex divina testificatione. Atqui non repugnat ut idem homo attingat materiale objectum sub diversis rationibus formalibus quibus cognoscibile est. Ergo potest in uno eodemque homine esse scientia et fides de eodem objecto. »

10. Prob. 2^o *ex obligatione omnibus, sive doctis sive indoctis imposita, credendi veritates revelatas sola ratione cognoscibiles.*

a) B. Paulus ait (Hebr. XI, 6) *Sine fide impossibile est placere Deo. Credere enim oportet accedentem ad Deum quia est.* Quisquis ergo, etiam doctus, vult Deo placere et ad illum accedere, oportet ut actu fidei credat *quia est.*

b) Insuper, philosophi christiani quotidie recitant Symbolum, quo profitentur se credere existentiam unius Dei Omnipotentis, Creatoris coeli et terrae; nec licet supponere eos, in tali professione emittenda, aut mentiri aut falsum proferre.

c) Conc. Trid. (Sess. VI, cap. 6) docet peccatores ad justitiam disponi, dum credunt vera esse quae divinitus revelata sunt, et de hac dispositione scriptum esse: *accedentem ad Deum oportet credere quia est, nec apponitur ulla exceptio pro doctis philosophis.* Ergo et doctiores tenentur credere ea omnia quae divinitus revelata sunt, quantumvis aliunde evidentialia, et notanter ipsam Dei existentiam.

d) Conc. Vatic. (Constit. *Dei Filius*, c. 2), postquam animadverterit multa ad quae naturalis ratio pertinere potest in revelatione includi, docet (ibid. c. 3) « fide divina et catholica ea omnia credenda esse, quae in verbo Dei scripto vel tradito conti-

nentur ». Quam obligationem, et a resurrectione extendi, et omnes fideles etiam doctiores st manifeste supponit.

e) Demum Patres, quando memorant veritates credendas, nunquam distinguunt inter naturaliter demonstrabiles et rationi impervias, neque inter Christianos doctiores et minus doctos; sed constanter et aperte supponunt omnia revelata ab omnibus indiscriminatum fide esse retinenda.

11. Prob. 3^o *ex consecrariis.*

a) In sententia adversa, philosophi christiani, propter scientiam suam naturalem, detrimentum ⁱⁿ fidei exercitio patientur; et hoc detrimentum eo majus erit, quo plurium veritatum revelatarum evidentem adepti fuerint notitiam; siquidem illas fide divina supernaturali credere non poterunt.

Neque dicas illos retinere meritum piae credulitatis, qua vellent credere si non caperent demonstrationem naturalem. Majoris enim meriti est fides formalis quam virtualis, et qui meliori pollent ingenio non habebunt, circa veritates naturaliter cognitae, nisi fidem virtualem.

b) Existentia Dei summe Veracis numeratur inter fidei articulos. Atqui nemo, quantumvis indoctus, potest habere circa hunc articulum fidem veram et firmam, nisi antea per rationis naturalis lumen certo cognoscat Dei existentiam et summam Veracitatem. Fac enim alicui, ante omnem fidei actum, non constare certo utrum Deus existat, nonne legitime dubitabit an sit possibilis revelatio? Et si ipsi non fuerit demonstrata Dei Veracitas, quomodo judicabit se ad credendum obligari, ubi Deus asserit se revera esse

demonstratione tantum quod nomine Dei passim intelli-
et ex illa
i

Sic igitur respondendum est ad ea quae opponuntur
n. 8.

12. *Ad 1.* In nostra etiam sententia, fides merito
dicitur *argumentum non apparentium*; sive quia
praecipuae veritates revelatae captum intellectus
superant; sive quia aliarum naturaliter cognosci-
bilitium evidentia intrinseca per revelationem non appa-
ret.

13. *Ad 2.* Patres id unum intendunt, nempe :
fidem divinam de aliqua re prorsus esse diversam
ab ejus rei visione. Visum enim, quatenus visum, non
est objectum fidei, quae non subministrat nisi evi-
dentiam extrinsecam.

14. *Ad 3.* S. Thomas Apostolus, juxta Patres, aliud
vidit, aliud credidit, id est : vidit evidentia naturali
Christum redivivum, et ex illa resurrectione, tanquam
motivo credibilitatis, ductus est ad credendam Christi
divinitatem. Sed hoc non impedit quominus vere
crediderit ipsam resurrectionem; quamvis illa fides,
propter concomitantiam visionis, fuerit minus meri-
toria ac fides illorum qui Christum redivivum non
viderunt.

De caetero, repugnat B. Mariam, caeteros Apostolos,
eosque omnes qui propriis oculis Christum redivivum
conspexerunt, non potuisse fide divina credere resur-
rectionem. Quinimo, aegre concipitur hanc veritatem,
quae habetur veluti dogma totius religionis funda-
mentale, jam non esse articulum fidei pro tot Chri-
stianis, qui ex sola testium veracitate, naturali

discursu evidenter probata, Christum resurrexisse
noverunt.

15. *Dico 2° : Idem potest esse simul scitum et
creditum, non solum successive, sed etiam simul-
taneae, saltem per duos distinctos actus.*

Certe una potentia, eodem instanti, tendere potest
ad unum materiale objectum, ob duo motiva forma-
liter diversa. Sic Christus habuit simul de Deo visio-
nem intuitivam, et scientiam infusam, quae ultima,
aliquando saltem, actualis erat. Ergo pariter idem
intellectus potest simul, et ob naturalem evidentiam,
et ob divinam Veracitatem, eidem veritati adhaerere.

16. Dubium est an id fiat per unum actum vel per
duos. Plures cum Molina et Fonseca putant fieri per
unum actum, qui nec est formaliter actus fidei, nec
formaliter scientiae, sed continet eminenter utriusque
rationes, participans a fide majorem certitudinem, et
a scientia claritatem.

Suarez (*De fide* : Disp. III, sect. 9. n. 7.) cujus
opinio melius probatur, censet id fieri per duos actus.
Etenim, unus actus non potest esse duplicis diversae
speciei. Sed talis esset actus praedictus. Nam, ubi
adsunt duo motiva et duo principia formaliter diversa,
ibi adest duplex specie actus. Jamvero, in casu,
adsunt duo motiva formaliter diversa, scilicet : evi-
dentia naturalis et Dei revelantis auctoritas; adsunt
etiam duo principia formaliter diversa; cum assensus
ex motivo Dei loquentis datus, sit substantialiter su-
pernaturalis, et alter, ex motivo naturalis evidentiae,
sit substantialiter naturalis. Quae omnia quomodo
in uno actu cohaereant non facile intelligitur.

17. Dico 3° : *Veritates evidentia immediata clarissime effulgentes non videntur posse credi actu fidei divinae.*

Ita Lugo (*De fide* : Disp. II, sect. 2. n. 67), Vasquez (in 3. p. Disp. LIII, n. 5. Disp. LXII, n. 63), Suarez (*De fide* : Disp. III, sect. 9. n. 19), Hurter (*De fide* : n. 460).

Id probat experientia. Dum enim judicamus, v. gr. bis duo dare quatuor, solem hic et nunc lucere, quantumvis alii haec nobis testificent, haud possumus, etiam conando, iisdem veritatibus assentiri propter testificantium auctoritatem; sed illa vera esse pronuntiamus, unice quia nobis immediate et clarissime apparent. Ratio esse videtur, quod hujusmodi res luce sua ita satiant et rapiunt intellectum, ut nulla auctoritas, etiam infallibilis, alicujus esse possit utilitatis ad firmiorem adhaesionem producendam.

Nec valet in contrarium exemplum Apostolorum, quos diximus habuisse fidem in resurrectionem Christi clarissime manifestatam. Non enim tanta fuit evidentia hujusce facti, quanta primorum principiorum; et adhuc discursu aliquo opus fuit ut omnis excluderetur illusionis timor.

QUAESTIO III.

An et quatenus objectum materiale fidei per Ecclesiae definitionem constituatur?

18. Resp. Veritas revelata, prout est vel non est ab Ecclesia definita, constituit objectum fidei catholicae, vel simpliciter divinae, unde:

19. Dico 1° : *Datur fides divino-catholica, cujus objectum est id omne et solum quod Ecclesia definit de fide credendum.*

1. Dari fidem catholicam patet. Nam unitas fidei, qua Christus Ecclesiam suam decoravit, exigit ut fideles non solum modo generali veram esse christianam revelationem profiteantur, sed speciatim in nonnullis veritatibus revelatis credendis conveniant; unde quicumque aliquam ex eis culpabiliter vel negaverit, vel in dubium revocaverit, eo ipso extra unitatem Ecclesiae fiat. Haec autem adhaesio praefatis articulis merito vocatur fides *catholica*, quia est primum vinculum quo fideles, per orbem universum sparsi, in unum corpus morale catholicum coalescunt.

20. 2° Haec fides catholica extenditur ad omnes articulos ab Ecclesia definitos. Novimus enim, ex Christi institutione, principium unitatem fidei producens et conservans, esse infallibile magisterium, cujus est quid sit de fide tenendum auctoritative declarare.

Sed notare juvat quasdam veritates per Ecclesiam docentem nonnisi *aequivalenter* definitas esse, quod plane sufficit. Porro veritas revelata *aequivalenter* definitur, cum aliquid tanquam de fide universe creditur a Catholicis; aut etiam cum in Scriptura tam expresse et evidenter continetur, ex communi omnium iudicio, ut haberi debeat tanquam ab Ecclesia propositum, in decreto de Scripturis sacris suscipiendis. Talia sunt facta historica, v. gr. diluvium, transitum maris rubri, adoratio Christi a magis, resurrectio Lazari, etc.

21. 3° Quae eadem fides *divino-catholica* non

complectitur veritates nondum definitas. Ad fidem enim catholicam, ea requiritur certitudo quam nullus fidelis rejicere potest, quin desinat esse Catholicus, ob repudiatam fidei unitatem. Sed talis certitudo non competit veritatibus ab Ecclesia non definitis; Ecclesia, siquidem, ut extra fidei unitatem factos habet illos tantum, qui ipsius definitionibus pertinaciter resistunt.

22. Dico 2° : *Datur fides simpliciter divina, qua creduntur veritates revelatae et nondum ut tales definitae. Unde ad objectum materiale fidei, propositio Ecclesiae non est necessaria.*

Prob 1°. Quoties certo invenitur aliquid a Deo revelatum, illud fide divina credi potest ac debet. Atqui non repugnat ut quis, fontes revelationis perpendendo, nempe Scripturas et Traditiones divinas, certo reperiat talem veritatem in revelationis deposito contineri.

Prob 2°. Ecclesiae definitionem ad omnem fidei actum praerequiri est impossibile. Nam auctoritas infallibiliter docens, est factum de quo constat solummodo ex divina revelatione, et quod proinde fide creditur. Sed si fide credi nequeat nisi ex propositione Ecclesiae, nemo, huic definitioni prudens obsequium praestabit; nemo siquidem, Ecclesiae propriam infallibilitatem docenti prudenter assentitur, priusquam aliunde, independenter ab hac autoritate, comperiat Ecclesiam in docendo esse infallibilem.

QUAESTIO IV.

Utrum ad objectum materiale fidei requiratur revelatio publica?

(Salm. *De fide*: Disp. I. n. 104... 115, et 131... 138. — Lugo. *De fide*: Disp. I. sect. 11).

23. Resp. Revelatio alia est *publica* et alia *privata*. Prior per se dirigitur ad universam Ecclesiam, tanquam obligatorie credenda; posterior non item, sed fit alicui vel aliquibus, quatenus sunt personae privatae.

Cum Ecclesia nunquam revelationes privatas ut de fide credendas definiat, hinc ad fidem divino-catholicam revelatio privata non sufficit. Difficultas est an sufficiat ad fidem simpliciter divinam? Communior sententia contra nonnullos Thomistas affirmat, unde:

24. Dico : *Ad fidem simpliciter divinam non requiritur revelatio publica, sed privata sufficit.*

Etenim, 1° Conc. Trid. (Sess. VI, can. 16) docet neminem, nisi ex speciali revelatione didicerit, scire posse *certitudine fidei*, se gratiam Dei esse consecutum. Jamvero talis revelatio, si daretur, non foret publica sed privata; et nihilominus, ex Conc., ad fidem sufficeret.

2° Quicumque alicui privatae revelationi sufficienter demonstratae positive dissentiret, eo ipso foret infidelis; quia, quantum in se est, faceret Deum mendacem, destrueretque motivum fidei divinae. Sed

infidelitas propria est vitium oppositum fidei theologicæ.

25. Hinc, eadem virtus quæ disponit ad assentiendum veritatibus publice revelatis, disponit etiam ad assentiendum revelationibus privatis; quia utrobique datur assensus Deo revelanti ob summam ejus Veracitatem. Sane utriusque revelationis finis non idem a Deo intenditur; sed ille finis est quid fidei extrinsecum et accidentale.

QUAESTIO V.

Utrum ad objectum materiale fidei requiratur revelatio explicita et immediata?

26. Resp. Propositio dicitur *explicite revelata*, quando iisdem terminis a Deo enuntiata fuerit; sic v. gr. *explicite* revelatum est Verbum caro factum fuisse; item, Spiritum Sanctum a Patre procedere. Est autem *implicite* revelata, propositio quæ verbo ad verbum in deposito revelationis non reperitur, sed tamen continetur in aliqua propositione explicite revelata. Sic, v. gr. ubi explicite revelatum est Christum esse hominem, jam *implicite* revelatum est eum esse animal rationale, aut esse risibilem.

Revelatio, sive explicita sive implicita, est vel *immediata*, vel *mediata*. Prior fit sine ullo intermedio humano, sed vel per Deum ipsum, vel per Angelum. Posterior locum habet per alicujus hominis, cui immediate facta est, intermedium.

Possibilitas revelationis mediatae probatur in tractatu *de vera Religione* n. 41. De sola revelatione implicita nunc agendum est.

27. Dico : *Revelatio explicita necessaria non est, sed sufficere potest implicita.*

Etenim, ut aliquid sit, quoad se, objectum fidei materiale, sufficit quod absolute et simpliciter fuerit a Deo revelatum. Atqui ad id non requiritur ut propositio revelata fuerit propriis terminis. Eadem quippe veritas pluribus vocibus æquivalentibus exprimi potest; et objectum revelatum non sunt proprie verba, sed res per illa significatae. Sic parum refert si Deus revelet Christum esse hominem, aut esse animal rationale; dicendo primum, censetur dicere et secundum.

Dixi : *sufficere potest revelatio implicita*, non vero *semper sufficit*. Quod enim non semper sufficiat infra declarabimus, præhabita distinctione revelationis implicitæ in formalem et virtuales.

QUAESTIO VI.

Utrum ad objectum fidei materiale sufficiat revelatio formalis quamvis implicita?

28. Resp. Prævie explicandum est quid sit revelatio implicita *formalis*, quid *virtualis*.

Illud est *formaliter* revelatum, quod in suo proprio conceptu a Deo dictum est. Unde ubi duæ propositiones eundem conceptum, licet sub diversis verbis, exhibent, revelatio unius secum infert revelationem formalem alterius. Item, si propositio explicita revelata exprimat conceptum universaliorum, in quo tamen conceptus per alteram manifestatus

formaliter continetur, tunc haec posterior in priore formaliter censetur revelata. Sic, v. gr., ex eo quod explicitè revelatum fuerit Christum esse hominem, implicite, sed formaliter, revelatum est eum voluntatem humanam habere.

29. Equidem, nonnunquam transitus ab una propositione ad aliam in ea formaliter contentam, fit mediante discursu; sed discursus ille est mere explicativus. Discursus autem est mere explicativus, quando praemissa non revelata, qua mediante fit transitus a propositione revelata ad conclusionem in ea contentam, nihil praemissae revelatae formaliter superaddit, sed eo tantum spectat, ut pateat conclusionis conceptum in conceptu praemissae revelatae formaliter, licet confuse, contineri. Sit in exemplum ille syllogismus: « Homo constat anima et corpore inter se unitis. Atqui Christus est homo; ergo habet corpus et animam inter se unita. » Ibi evidens est praemissam naturalem esse mere explicativam, qua ostenditur haec duo: Christum esse hominem, et Christum habere corpus et animam inter se unita, eundem exhibere conceptum.

30. Illud est *virtualiter* revelatum, quod in suo proprio conceptu non fuit a Deo prolatum, sed cum alia veritate certo revelata ita indivulse connectitur, ut ab ea, discursu proprie illativo et non simpliciter explicativo deducatur. Discursus autem est illativus, quando praemissa non revelata aliquid formaliter praemissae revelatae superaddit. Sit in exemplum ille discursus: « Maternitas divina est maxima dignitas purae creaturae conferibilis. Atqui B. Maria est mater Dei. Ergo B. Maria dignitate superat

« omnes puras creaturas. » Ibi praemissa revelata non continet conclusionem nisi virtualiter; quia conceptus conclusionis in conceptu praemissae revelatae non continetur formaliter, quamvis praemissa naturalis ostendat nexum logicum utriusque.

Propositio sic virtualiter revelata *conclusio theologica* nuncupatur. His positis:

31. Dico: *Quidquid in revelationis deposito formaliter, quamvis implicite, continetur, ad materiale fidei objectum pertinet.*

Etenim, illud omne est fide divina credibile, ad quod terminatur testimonium Dei revelantis. Atqui testimonium Dei revelantis certo terminatur ad id omne quod est formaliter revelatum. Revelatio, siquidem, est manifestatio conceptus divini, et propositio formaliter, quamvis implicite, revelata, exhibet conceptum formaliter in verbo Dei contentum. Ita omnes.

Unde S. Greg. Naz. (Orat. 31. n. 41): Si te bis « quinque aut bis septem dicente, decem aut quatuordecim colligerem, aut ex eo quod animal ratione praeditum et mortale dixeris, hominem esse concluderem, an tibi nugari viderer? Et quo pacto id fieri posset, cum tua dicerem? »

32. *Nonnullae applicationes.* Operae pretium erit indicare quasdam doctrinae modo traditae applicationes communiter admissas. (Vide Vincent. *De fide*, n. 13.)

1° Quando aliqua propositio cum explicitè revelata unicum et eundem habet sensum, mutatis verbis,

tunc est de fide. V. gr., si explicite revelatum est Christum esse hominem, implicite ac formaliter revelatum est, atque de fide, illum esse animal rationale.

33. 2° Item, formaliter est revelata propositio enuntians partem essentialem alicujus totius explicite revelati; v. gr. revelatum est formaliter Christum anima humana donari, quia explicite revelatum est illum esse hominem.

34. 3° Ubi duae propositiones sunt essentialiter correlativae, unius explicita revelatio secum trahit alterius revelationem formalem et implicitam. Sic, v. gr., Deus revelans dari Filium inter divinas Personas, simul Patris existentiam revelavit.

35. 4° Quoties explicite revelatum est aliquod factum essentialiter in suo conceptu aliud involvens, hoc ultimum fit de fide. Sic, v. gr., revelando malos Angelos peccavisse, eo ipso Deus eorum existentiam et liberum arbitrium revelavit.

36. 5° Si explicite reveletur veritas unius propositionis, eo ipso implicite asseritur falsitas contradictoriae aut contrariae. Et revera, Ecclesiae mos est veritatem definire damnando errorem contrarium.

37. 6° Admittenda videtur revelatio formalis implicita propositionis, quae immediate deducitur ex duabus praemissis certo revelatis. Etenim, complexus duarum praemissarum formaliter revelatarum est veritas formaliter revelata. Atqui conclusio immediate ex his deducta, in illo complexu formaliter continetur. Nihil, siquidem, esse potest in conclusione quod non fuerit positum in praemissis. Sit, v. gr., ille syllogismus: « Omnes Apostoli, in die Pentecostes,

« receperunt Spiritum Sanctum. Atqui S. Matthaeus « est Apostolus. Ergo S. Matthaeus recepit Spiritum « Sanctum. » Conclusio huic aequivalet propositioni formaliter revelatae: « Omnes Apostoli, inter quos erat « S. Matthaeus, receperunt Spiritum Sanctum. »

38. Non ita concordant theologi circa propositionem particularem in universali formaliter revelata contentam; de qua est specialis quaestio modo solvenda.

QUAESTIO VII.

Utrum sit de fide propositio particularis, quae in universali certo revelata continetur?

39. **Resp.** Videri potest quod non, ut nonnulli contendunt cum Bannez, et Cajetano.

Etenim, 1° In illo casu, veritas propositionis deductae nititur legitimitate syllogismi, ac proinde non creditur immediate ob solam Dei revelantis auctoritatem.

2° Praeterea, propositio particularis non apparet in universali contenta, nisi per aliquod factum contingens et particulare minime revelatum. Sic, v. gr., ut ex illa universali: Omnis infans legitime baptizatus habet gratiam sanctificantem, concludatur: ergo hic infans est in statu gratiae; necessarium est supponere eum fuisse legitime baptizatum, et hoc factum non constat revelatione. Ergo neque censeri debet revelata hujus pueri justificatio.

40. **Sed contra dico:** *Propositio particularis quae certo in universali revelata continetur, est de fide.*

Ita communiter theologi.

Prob. 1° Propositio universalis aequivalet formaliter omnibus particularibus quas sub se includit; sunt enim illae propositiones quasi partes actuales universalis, a qua solum differunt penes modum significandi. Unde, sicut revelando Christum esse hominem, Deus eo ipso revelat eum habere corpus et animam, quae sunt partes actuales hominis; ita, secundum rem, revelare propositionem universalem, idem est ac revelare singulas particulares sub illa inclusas.

41. Prob. 2° Mens Dei revelantis propositionem universalem, qualis est ista: *Omnes homines a Christo judicabuntur*, est ut singuli homines sciant se esse judicandos; ad quem finem, haud necessarium fuit singulos homines separatim nominare dicendo: Petrus, Paulus, Jacobus... judicabuntur; sed sufficiebat eos omnes sub uno dicto formaliter complecti, dicendo *Omnes*. Ergo revelatio illa universalis ad singulos dirigitur; et unusquisque obligatur ad credendum tanquam de fide divina se judicandum fore.

42. Prob. 3° Si quis modo tenaciter defenderet se non contraxisse originalem labem, incurreret haeresim, poenasque in jure contra haereticos statutas, ut constat ex Conc. Trid. in decreto de peccato originali. Ergo hunc in particulari hominem nasci obnoxium originali maculae, est de fide. Sed hunc hominem contraxisse originalem culpam, non est revelatum, nisi in propositione illa universali: *Omnes in Adamo peccaverunt*. Ergo revelatio propositionis universalis, constituit sub fidei materiali objecto omnes particulares certo sub illa inclusas.

Sic igitur respondendum est ad ea quae opponuntur n. 39.

43. *Ad. 1.* Equidem syllogismo constat propositionem particularem sub universali revelata contentam esse; sed ut inde inferatur conclusionem sic deductam non esse de fide, necessarium esset, aut praelaudatum syllogismum esse proprie illativum, aut tunc nos credere praecise propter legitimitatem discursus. Atqui neutrum verum est.

1° Syllogismus deducens propositionem particularem ab universali revelata, non est proprie illativus, sed explicativus; et nedum auferat a propositione sic deducta rationem revelationis formalis, eam rationem potius supponit ac demonstrat.

2° Non credimus propter legitimitatem discursus, sed unice propter auctoritatem Dei revelantis. Nam juxta omnes, non credimus ullam veritatem revelatam, nisi praemisso discursu legitimo, ejus credibilitatem demonstrante; et tamen bonitas illationis non est nisi conditio praevia, et ideo non est motivum assensus, ut infra explicabitur. Ergo discursus quo conclusio particularis deducitur ex universali revelata, actum fidei divinae minime impedit.

44. *Ad. 2.* Idem redit principium solutionis. Factum contingens minime revelatum vi cujus propositio particularis continetur in universali revelata, est simplex conditio cujus praevia notitia requiritur, ut certo constet revelationem propositionis universalis secum inferre formalem revelationem particularis. Qua posita conditione, evidens fit Deum priorem revelando, posterionem formaliter revelasse; sed factum illud contingens non est motivum assensus fidei.